



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

XI. De circumstantia; Quibus auxiliis, & circumstantia, Cur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

potest nunquam furtum graue commississe, & tamen allicefactum esse furtis leuibus, in quibus videtur non esse peccatum graue contra iustitiam: ergo neque ex hoc capite talis circumstantia est necessaria manifestanda, nisi transferat in speciem Sacilegij propter reuerentiam Sacramenti. Melius ergo, & consequentius negatur furtum illud rei modice accipere malitiam grauem in eo casu quo confessio non assumitur, vt medium ad furandum; quia sicut posset absque peccato mortali illo ipso tempore peccare leuiter iudicando temere confessarium, aut cum proposito detrahendi famae illius detractio veniali: & sicut posset eo ipso tempore per famulum, vel amicum furari aliquid leue à Confessario in alio loco; sic videtur posse absque mortali furari concomitantem per seipsum aliquid leue: parum enim differt furari per se, vel per alium.

Restabat dicere, quid intelligatur nomine loci sacri in ordine ad supradictam malitiam Sacilegij contrahendam. De hoc tamen dixi satis d. disp. 20. de Eucharistia, sect. 2. Illud sane videtur ferè certum non comprehendere nomine loci sacri in hac materia, claustra, & habitationem regularium: alioquin ipsi in omni peccato pollutionis deberent explicare circumstantiam loci sacri: quod cum Azorio 3. part. l. 3. c. 27. & Soto in 4. disp. 32. q. 1. art. 3. notauit bene Diana 2. tom. tract. 4. de Sacramentis, resol. 166. ubi addit contra Zetolam, & alios, quod si quis furatur in dictis locis, non debet explicare hanc circumstantiam loci sacri.

SECTIO XI.

De circumstantiis, quibus auxiliis, & circumstantia, Cur.

Quarta circumstantia est, quibus auxiliis: circa quam ferè nihil notandum occurrit. Ad eam enim spectant instrumenta, quibus peccatum factum est, vt si gladio, vel scilicet occidisti: quod regulariter non oportet explicare, nisi forte sit specialis prohibitio talis instrumenti, quæ obligat sub mortali: aut nisi media illa aliunde contineant specialem malitiam contra aliam virtutem, vt si mediis Sacramentis, aut rebus sacris occidisti, aut illud peccatum fecisti; illa enim esset specialis malitia contra religionem: quod in vniuersum de quocumque medio afferente ex se aliam speciem malitiæ dicendum est.

Pertinet etiam ad hanc circumstantiam auxilium demonis, quod aliquis expressè, vel tacite quaerit, & procurat ad aliquem turpè finem consequendum. Pertinet denique auxilium, & interuentus aliorum hominum, quorum opera quæ sunt ad finem malum. Oportet enim explicare eam circumstantiam, quia inductio alterius ad peccatum, vel cooperari peccato illius, vt sepe diximus, est peccatum specie diuersum à peccato, quod fieret in eadem materia à teipso. Debes ergo explicare te vsum fuisse alterius opera ad tale peccatum exequendum quæ ad hoc induxisti, atque adeo debes explicare speciem peccati, ad quod illum induxisti. Si autem in istorum simul opera vsum es probabile fortasse erit, non esse necesse explicare distinctè numerum personarum, sed sufficere, si dicas te plurimum opera vsum esse, quos induxisti ad hoc, & hoc præstandum, iuxta ea quæ diximus in simili supra, sect. 3. n. 135. nisi forte peccata, quæ illi fecerunt, differant specie inter se, vel propter diuersam personarum conditionem, vel propter diuersitatem actionum, quas exercuerunt: vel nisi etiam propter temporis distantiam, aut interruptionem moralè inductiones illæ fuisset plura numero peccata, iuxta ea, quæ dicimus inferius agentes de peccatorum numero declarando, reliqua, quæ pertinent ad peccatum scandalum. Vide, quæ diximus, sect. 4. n. 155. & seqq.

Quinta circumstantia dicitur, Cur, in qua proprie loquendo, non est sermo de omnibus causis peccati, sed de causa finali, quæ mouet ex parte intellectus, & suggerit ratione, & motiui, quo respondere possumus interroganti cur hoc fecerimus? Et quidem non est du-

P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

bium, quod debeat explicari finis, quando ipse de se habet malitiam, & medium nullum habet: vt si studens propter finem furandim tunc malitia furti non erit circumstantia, cum non supponat actum aliunde malum; sed erit totum obiectum tribuens primam malitiam peccati. Quando verò medium aliunde est malum, vt si furaris propter mercedem, tunc etiam explicanda est malitia finis, cum sit specie diuersa à malitia furti. Tota difficultas est, an quando finis non est de se malus; medium autem est malum, debeat explicari etiam ipse finis, v.g. omittit Missam propter studium, an debeas explicare finem, nempe studium, an solam omissionem Missæ: idem est, quando sit peccatum commissionis, vt si furatus est propter studium, an sufficiat confiteri furtum, non explicato fine studendi.

Est sententia aliquorum, qui dicunt non sufficere explicare omissionem, sed explicandam causam omissionis, & idem de causa peccati commissionis. Hæc tamen sententia bipartita est: aliqui enim dicunt, studium, v.g. propter quod omitto sacrum, esse peccatum, non verò studium consequens: vt si, v.g. decerno non audire Missam, & postea, ne sum otiosus, volo studere; hoc studium non est peccatum. Alij verò etiam, in hoc casu dicunt studium esse peccatum, & in vniuersum omnem actionem ex se impossibilem cum actu præcepto, esse peccaminosam, si fiat tunc, quando præceptum debebat impleri.

Hoc ex professo pertinet ad materiam de peccatis: dico tamen breuiter. Primò licet studiū, propter quod omitto Missam, seu voluntas illa studendi sit mala, non tamen habet malitiam specie diuersam à malitia omissionis Missæ; atque ideo non oportet illam voluntatem explicare, sed sufficit dicere omissionem voluntariam Missæ. Hæc est communis, quam tenet Suar. in præf. disp. 2. §. 4. n. 1. Valent. Med. Azor. Vasq. Tan. Salas, Henr. quos affert Diana tom. 1. de circumst. ag. gran. resol. 23. & resol. 62. & alij passim.

Probatur primò, quia tota malitia studij provenit à malitiæ omissionis sacri: ergo sufficit explicare omissionem sacri. Dicunt esse ibi duplicem malitiam: alteram omissionis sacri contra virtutem Religionis, & præceptum audiendi Missam, alteram propriam ipsius studij contra virtutem studiositatis, quæ inclinatur ad studium indebito modo susceptum, quale est illud, quod impedit auditionem Missæ debitam. Quod explicari potest exemplo liberalitatis, quæ inclinatur ad debitos sumptus; quare indebiti sumptus, & excessus in illis aduersantur liberalitati, & habent malitiam contra illam. Similiter virtus temperantiæ inclinatur ad sumendum alimentum debitum: excessus autem in cibo opponitur temperantiæ. Ergo similiter excessus in studio, quo relinquitur sacrum, opponitur virtuti studiositatis, quæ inclinatur ad studium debito modo.

Sed contra hoc arguitur secundò, quia si in eo casu esset duplex illa malitia, sequitur, peccare grauius eum, qui omittit sacrum propter studium, vel vt inferuiat infirmo ministerio non necessario, quam illum, qui directè ex mera negligentia omittit sacrum: consequens videtur aperte falsum, cum ille finis studij vel ministerij infirmo, magis excuset aliquid quantum, quam accuset. Sequela verò probatur, quia ille alius peccaret solùm contra præceptum audiendi Missam: hic verò peccat contra illud præceptum, & rursus contra studio sitatem, vel misericordiam, & quidem peccato graui necessario explicando; ergo grauius peccaret hic, quam ille.

Vnde argui potest tertio quia si aliquis omittit sacrum debitum propter finem venialiter malum, v.g. propter ludum veniale, non contrahit duplicem malitiam grauem specie diuersam: est autem absurdum dicere, quod grauius peccet, omittens sacrum propter studium, quam propter ludum: ergo non contrahit duplicem malitiam grauem, qui omittit sacrum propter studium atque adeo sufficit explicare malitiam contra religionem.

H h

Confr

478.

An sit explicanda causa omissionis.

479.

480.

481.

finem vltimum: sicut etiam quando die non festo reliquias Missam propter studium, hoc erit tunc finis vltimus illius omissionis: in quo nulla est peculiaris malitia præter illam, quæ desumitur ex præcepto, quod violatur, nec opus est hunc studij amorem explicare nam eo ipso, quod dicis, te reliquisse Missam die festo, significas, te id fecisse ex amore, vel tui, vel alicuius creaturæ: non poteras enim omittere Missam, nisi propter aliquod malum, quod in audienda missa præsentabatur, vel propter aliquod bonum, quod impediēbat. Quoad autem illud fuerit bonum studij, vel aliud, parum refert, nec explicandum est, nisi illud obiectum ex se haberet aliunde malitiam, vt si omisit sacrum propter mæchiam, vel furtum.

Dico secundò: quando voluntas studendi se habet cōcomitanter, & ideo vis stupere, ne sis otiosus, quia decreuisti iam nō audire Missam, multò minus videatur explicanda illa voluntas studendi, cum nec mala quidem sit, sed potius bona. Hanc tenent Medina 1. 2. q. 71. art. 5. dub. 2. Aluarez ibi d. 126. n. 2. Salas 11. 13. d. p. 2. c. 6. n. 102. qui alios antiquiores referunt.

Probatur primò, quia illa voluntas studendi non est mala ex obiecto, vt cōstat; neque etiam ex circumstantia, cum studium non sit tunc causa omittendi sacrum, sed potius sit effectus, nō enim omittit sacrum, quia studet, sed potius è cōtra; ideo studet, quia omisit sacrum, ergo non accipit malitiam ab omissione sacri, quam non causat: quod autem ab ea causetur non vt à fine, parum refert, nam penitentia etiā causatur occasionaliter à peccato, & non est mala, & alij plures effectus boni sunt ex suppositione peccati iam positi. Porro voluntatem studendi non esse causam omissionis sacri constat apertè, quia non potest esse causa id, quod nō est prius, sed potius: sed peior est in casu nostro voluntas non audiendi sacrum, & postea est voluntas studendi ex suppositione, quod nō auditur sacrum; ergo voluntas studendi non potest esse causa, sed effectus voluntatis non audiendi sacrum.

Probatur secundò, quia studere ex suppositione, quod nō audiat Missam, posset esse materia præcepti, posset enim Deus præcipere audire Missam, & rursus quod si Missa non audiat, & præceptum primum violatur, homo non sit otiosus, sed studeat: posset itē ipse homo voto se obligare ad studendum, ne sit otiosus, quando domi manet, atque ideo ex suppositione, quod non vult ire ad Missam, haberet ratione voti studere, posset denique esse materia consilij: nam prudenter tibi consulerem, vt si non vis audire Missam, studeas, ne sis otiosus: ergo studiū ex illa suppositione non est peccatū, sed honestū. Ratio est, quia ex suppositione iam posita, melius est studere quā esse otiosum; ergo licet suppositio illa sit mala, id tamen quod postea eligitur, non est malum, nec peccatum.

Contra hoc sunt aliquæ obiectiones difficiles. Prima est, quia tenēris relinquere studium, vt eas ad audiendam Missam; ergo studium ipsum est contra obligationem non studendi, ergo est peccatum. Respondetur, distinguendo antecedens: tenēris immediate relinquere studium, hoc est etiam ex suppositione voluntatis non audiendi Missam, nego: tenēris mediātè, hoc est habere voluntatē audiendi Missam, quæ posita cesset voluntas cōtraria, ex cuius suppositione nunc consequitur voluntas studendi, concedo; hoc autem non arguit studium ipsum esse peccatum, sed quod supponit peccatū, cuius auferendi sit obligatio.

Secundò obijciuntur difficultates, quia ex nostra sententia sequeretur, Sacerdotem nauigantem, qui decreuit toto nauigationis tēpore non recitare officium, non peccare, si ex suppositione illius voluntatis proiciat breuiarium in mare. Item furem qui habet animum non restituendi pecunias ablatas, nō peccare, si ex illa suppositione eas expendat, & reddat impossibilem

P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

restitutionem: item eum, qui emissio castitatis voto decreuit illud non seruare, & peccare, si ex suppositione illius decreti, ducat uxorem, quæ omnia sunt absurda: ergo fatendum est, quod ponere aliquid impossibile, le ex se cum re præcepta, est peccatū etiā ex suppositione volendi non obseruare præceptum.

Respondetur, negando se quelam: nam in illis omnibus exemplis ita ponitur aliquid impossibile, vt non solum impedire posset obseruationē præsentem præcepti, sed reddat impossibilem illam pro tempore sequenti, atque adeo respectu temporis sequentis, nō se habet concomitanter, sed antecedenter, & vt vera causa. Nā licet iam sit posita voluntas nō obseruandi præceptum tempore sequenti: hæc tamen voluntas non affert necessitatem ad tempus sequens, quia cū possit mutari, semper remanet possibilis obseruatio pro tēpore sequenti. Ideo proiecchio breuiarij in mare, distributio pecuniæ furtiue, contractus matrimonij sūt actiones peccaminosæ, quæ etiā ex suppositione voluntatis non obseruandi præcepta, est malū reddere impossibilem obseruationē pro tempore sequenti, & est obligatio non ponenditalē impossibilitatē: nos autē prius loquuti sumus, quā lo studiū nullo modo necessitat omittere sacrum pro tempore sequenti, quia si mutatur voluntas relinquendi sacrum, cessabit etiā studiū.

Hæc tamen responsio, & hæc regula vniuersalis aliquibus displicet, quia non omnis, qui se reddit impotentem ad opus præceptum, peccat per illam impotentiam, si id facit ex suppositione voluntatis non obseruandi præceptum. Alioquin qui post peccatum non audiendi Missam, it cubitum, & dormit, peccat de nouo, & debet confiteri omissionem sacri, & solum, quo se impotentem reddidit. Idem est de eo, qui post tale decretum, iret ad venandum, quæ venatione redderet se impotentem redeundi ad Missam. Item, qui decreuit non ieiunare, nec abstinere à carnibus, & ex suppositione huius voluntatis comedit carnes, quæ comestione reddit sibi impossibile ieiunium; peccat de nouo. Non ergo est verum in vniuersum, quod reddens se impotentem ex suppositione voluntatis non seruandi præceptum, peccat de nouo.

Ceterum doctrina tradita vera est, & ratio eius firma, nec exempla adducta aliquid contra illā probant; nam in illis verissimum est illam voluntatem dormiendi, & venandi illam item comestionem carniū esse peccaminosam, etiā ex suppositione prioris voluntatis non seruandi præceptum. Aliud autem est querere, an sit illa secunda actio mala, aliud verd, an debeat explicari in confessione illa impotentia voluntariè suscepta. Nam licet actio semper sit mala, ve diximus, non tamen semper erit necessariò explicanda in confessione, quia facit vnum peccatum moraliter cum ipsa omissione, vel violatione præcepti quæ sufficit explicare. Vnde qui post voluntatem non audiendi sacrum, it ad dormiendum, aut venandum, sufficit, si confiteatur voluntariam omissionem sacri. Similiter qui violauit ieiunium, sufficit, si dicat se violasse ieiunium, nam eo ipso explicat se reddidisse impotentem ad ieiunandum. Aliquando tamen oportebit declarare impotentiam positam. Sic qui proiecit breuiarium in mare, debet id explicare, quia si id non dicat, sed solum se accusat, quod per totum annum omisit recitationem, non confiteatur peccatum quod fecit, sed alia, quæ nō fecit: nam per illum modum se accusandi significat, quod toties peccauerit, quoties omisit: quod tamen est falsum; quod cum tempore sequenti non posset iam recitare, non peccabat tunc, sed peccauerat semel, quando apposuit causam, & impedimentū: non debet ergo accusare se de sola omissione, sed de causa omissionis, quia causa fuit peccatū, non verd omissiones sequuntur. Similiter, qui post votū castitatis ducit uxorem, nō satisfacit accu-

H h z fando

492.
De eo, qui se reddit impotentem ad rem præceptam.

493.

494.

fando se violatione voti castitatis, quia fortasse illud reipsa non violauit, si v. g. postea non consummauit matrimonium, nec debet etiam se accusare de centum, vel mille copulis postea habitis, quia illæ ad reddendum debitum positi non fuerunt iam peccata, sed actus honesti, & necessarii ex suppositione matrimonij facti, sed debet confiteri matrimonium factum, seu quod exposuit se periculo, & necessitati faciendi sapius contra votum à se emissum: hoc enim modo, & non alio explicat bene peccatum, quod commisit. Denique fur, qui consumpsit pecunias furtiuas, non debet illud explicare, sed furtum, & reus, quo potuit restituere, & non restituit: nam illa consumptio pecuniæ, non habet aliam malitiam, nisi malitiam furti continuati, sicut qui furatus tres, aut quatuor gallinas, eas comedit, non debet explicare actum comestionis, cum non sit, nisi contrectatio quædam rei alienæ inuito domino.

495. Vltimò obijci potest, quia studium, vel quæcumque alia actio, si impossibilis est cū auditione Missæ, impedit in genere causæ formalis audire Missam, non possunt enim esse simul illæ duæ actiones: ergo negatio Missæ pendet etiam ut effectus à causâ formali ab illo studio, vel ab illa occupatione: ergo studium erit peccatum, cum sit causâ non audiendi Missam. Respondetur negatio antecedens, si in rigore loquar: plus enim est impedire Missam, quam esse impossibilem cum Missâ. Nam impedire dicit causalitatem, & influxum, seu quod hoc sit ratio absentia alterius: studium autem, licet non possit esse cum Missâ, non tamen est ratio, cur non sit Missa, nec influit in Missæ negationem, cum potius negatio Missæ sit ratio ponendi studium, ideoque non potest in rigore dici, quod studium impediat ab audienda Missâ, quia non habet prioritatem, & independentiam necessariam, ut possit influi in negationem Missæ.

496. Posset quæri, an circumstantia finis mali possit explicari seorsim, v. g. an si furatus es propter mœchiâ & confessus es furti oblitus desiderij mœchiâ, possis in alia confessione cōfiteri hoc desiderij mœchiæ absque furto. De hoc tamen dicemus infra *sect. 6.*

Vltimò dubitari solet, an quando aliquis peccat ex mortuo confidentia, quam habet de remissione à Deo obtinenda, debeat eam circumstantiam confidentia explicare in confessione. Et quidem confidentia hæc multipliciter potest contingere. Primò, si quis speret, quod etiam sine pœnitentia propterea Deus illi remittet peccata: & hæc quidem esset præsumptio hæretica, & necessariò confitenda. Secundo, si quis peccaret cum proposito agendi pœnitentiam citò, & cum spe obtinendi veniam: & hæc quidem non videtur circumstantia aggravans, sed potius minuens peccatum, quia arguit voluntatem minus firmam in malo. Tertiò, si quis peccat cum proposito perseverandi in peccato, sed cum spe veniæ, & hæc videtur præsumptio aggravans, de quo Bonau. in *apol.* & S. Th. 2. 2. q. 21. art. 2. Caiet. ibi & Nau. in *sum. cap. 6. n. 4.* sed tamen non videtur esse circumstantia explicanda, quia non mutat speciem peccati.

SECTIO XII.

De circumstantiis, Quomodo, & Quando.

497. Quæ pertinent ad circumstantiam Quomodo.

SEXTA circumstantia est, *Quomodo*, ad quam plura possunt reduci. Primò modus violentiæ, quæ quidem transfert in nouam speciem, & debet explicari, v. g. furtum cum violentia illata est rapina: copula cum femina reluctante est raptus, & sic de aliis. Secundo modus, quo aliquis occidit discerpendo postea cadaueris membra, extrahendo iecur, & similia, per quæ contrahitur malitia feritatis specialis,

Tertiò pertinet modus intentionis, quæ quis peccat; qui in sententia obligante ad circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem explicandas, debet exprimi, & non parum laborant ij Auctores, ut excusent ab intentione explicanda: in nostra tamen sententia non est difficultas, cum tota ea intentio non afferat malitiam specie diuersam.

Quartò pertinet modus peccandi ex consuetudine, de qua dubitari potest, an debeat necessariò explicari, de hoc tamen diximus *suprà sect. 4. n. 200.*

Quintò pertinet modus peccandi ex ignorantia, an debeat explicari, quod peccatum est ex ignorantia culpabili, de hoc diximus etiam satis *illâ sect. 4. n. 182.* Restat tamen simile dubium de peccante ex conscientia erronea; an qui violauit ieiunium, quod putabat esse sub obligatione, cum reuera non esset, debeat explicare se violasse ieiunium cum conscientia erronea, cum reuera non obligaret, an verò sufficiat dicere se violasse ieiunium, Adrianus in *4. q. 4. de confessione*, dixit peccatum contra conscientiam errantem esse speciale peccatū necessariò explicandum. Quam sententiam reprehendunt Salas, Valentia, & Sayrus, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 1. de Decalog. 11. n. 5.* quia si peccatum illud haberet speciem malitiam ex præcepto non agendi contra conscientiam, sequeretur peccata alia, quando conscientia non errat, habere duplicem malitiam, alteram contra talem virtutem, alteram, quia sunt contra conscientiam. Dicendum ergo est, etiam si conscientia errat, peccatum habere idem obiectum in specie, quod haberet, si esset vera obligatio. Vnde puer, qui falsò putat se teneri ad ieiunium & non ieiunat, committit peccatum eiusdem speciei cum eo, quod committit adulescens obligatus ad ieiunandum.

Adhuc tamen potest esse difficultas practica, an qui ex conscientia solùm erronea peccauit, debeat explicare illam circumstantiam; an verò sufficiat dicere, peccauit grauiter peccato detractum; si reuera non erat detractio grauis, sed solùm erat peccatū propter conscientiam erroneam, quia putabat materiam esse grauem, cum esset levis. Ratio dubitandi est, quia licet detractio cum noumento graui vero, & detractio cum noumento leui, sed existimato graui non differant specie, imò sunt æquales in malitia; differunt tamē numero, & vna nō est aliam: nam detractio levis existimata grauis, non est detractio grauis, seu in materia graui. Si ergo confessus ex detractioe cum noumento graui, non es confessus illam detractioem, quam commisit, sed aliam distinctam circa aliam materiam diuersam, quam nunquam commiseras. Similiter si proieisti in flumen vas plumbeum, aut lignum tui proximi, putans esse argentum; vel vas tuum putans alienum, & confitearis, quod proiecasti vas alienum argentum, &c. non dixisti peccatum, quod reuera fecisti, sed quod putabas te fecisse, cum illud nō feceris, sed aliud, quod non es confessus: ergo non confiteris peccatum verum, sed existimatum: atque ideo, ut cōfitearis peccatum verum debes dicere, proieci in flumen vas meum, putas esse argentum. Propter hæc fortasse P. Salas 1. 1. in 1. 2. tr. 8. *disp. vnica, sect. 3. n. 28. in fine*, addidit hæc verba: Cum verò quis remlicitam egit, putans esse illicitam, & sic occidat feram, putans esse hominem: debet errare exprimere, alioquin enim nō intelligitur malitia actus externi, quia occisio fera mala non est, & Suarez in *presenti, disp. 22. sect. 4. n. 14.* dixit illa duo peccata esse quidem eiusdem speciei. Addit autem: Quæcirca si posset in confessione explicari illud peccatum, & malitia eius, non explicando conscientia erroneam, non multum referret ad confessionem: moraliter autem id explicatur, quia vix potest aliter dici peccatū, & sape est valde expediens, ut confessor possit illi conscientia erroneam